

beatus Cuthbertus animadvertens destitucionem ecclesie Christi Cantuariensis, eo quod nullo honorabilis sepulture decore fulgeret, sed corpora defunctorum archiepiscoporum apud sanctum Augustinum ad sepeliendum deferrentur, condoluit. Eo tempore presidebat sedi apostolice Gregorius iunior. Huic cum predictus beatus Cuthbertus hanc causam patefaceret, petiit, ut huiusmodi consuetudinem mutaret et mutatam apostolica autoritate firmaret; quo optento, confestim Angliam rediit, hoc idem regis autoritate fecit firmari. Appropinquante autem vite sue termino, precepit, ne qua divulgacio infirmitatis vel mortis eius fieret nec signum pro eo pulsaretur, donec corpus sepeliretur. Quod et factum est, et postea signa pulsata sunt et facta est sepulture divulgacio. Quo audito, Iambertus abbas Sancti Augustini cum monachis suis festinus accessit, corpus petiturus. Sed comperto, quod huius sepultura tam autoritate papali quam regali esset firmata, cum angustia reversus est.

Beato Gregorio LXXXVIII. post Petrum successit sanctus Gregorius iunior LXXXIX. post Petrum, natione Syrus, sedit annis XI¹. Hic isdem papa Gregorius erat vir mitissimus et valde sapiens, in divinis scripturis sufficienter instructus, Greca Latinaque lingua eruditus, orthodoxe fidei emulator ac defensor fortissimus, quem Romani unanimiter in pontificatus ordinem elegerunt². Hic 3^{bis} archiepiscopis Cantuariensibus pallium contulit, scilicet Tadwino, Notelmo, Cuthberto. Hic etiam constituit³ in missa 'quorum sollempnitas hodie' usque 'largitor admitte'. Obiit III^o Kl. Decembris.

Et memorandum, quod anno dominice incarnationis secundum ewangelium DCCLXI, secundum vero Dyonisium DCCXL. fuit quidam Karolus⁴, qui et Tudites vocabatur, princeps et pater Pipini regis, qui res ecclesie collatas ab eis dem abstulit et separavit, pro quo eternaliter est dampnatus. Quod et vidit in spiritu sanctus Eucherius Aurelianensium episcopus, animam istius Karoli in inferno inferiori torqueri. Cui angelus dixit, quod, quia sanctorum res abstulit, sempiternis penis est cruciandus. Qui in se reversus, sanctum Bonifacium et Fulradum abbatem Sancti Dyonisii et summum capellanum Pipini regis ad se vocavit et eis precepit, ut ad ipsius sepulcrum irent et, si corpus eius non invenirent, omnia vera

1) Aus Marian a. 732 (S. 546).

2) Aus dem Liber Pontificalis.

3) Aus Marian a. 738. 740 (S. 546).

4) Die folgende Erzählung mit Ausnahme von Karls Beinamen Tudites aus der Epistula Carisiacensis a. 858 (MG. Capitularia II, 432 f.).